

vit et caput nostrum, « Deus, Deus meus, quare me dereliquisti¹? Dicam Deo: Susceptor meus es, quare mei » oblitus es?

XVIII. « Utquid me repulisti? » Ex illa altitudine fontis intelligentiæ incommutabilis veritatis. « Utquid me » repulisti? » Quare gravedine et pondere iniquitatis meæ, jam illuc inhians, ad ista dejectus sum? Dicit alio loco ista vox: « Ego dixi in extasi mea: » ubi vidit nescio quid magnum, excessu mentis: « Ego dixi in extasi mea, projectus sum a facie oculorum tuorum². » Comparavit enim hæc in quibus esset, illis in quæ erectus erat, et vidit se longe projectum a facie oculorum Dei, sicut et hic: « Utquid me repulisti, et utquid contristatus incedo, dum » affligit me inimicus, dum confringit ossa mea³, » tentator ille diabolus, scandalis ubique crebrescentibus, quorum abundantia refrigescit charitas multorum⁴? Cum videamus fortes Ecclesiæ plerumque scandalis cedere, nonne dicit corpus Christi, « Confringit inimicus ossa mea? » Ossa enim fortes sunt, et aliquando ipsi fortes tentationibus cedunt. Hæc cum quisque considerat ex corpore Christi, ex voce corporis Christi, nonne clamat: « Utquid » me repulisti, et utquid tristis incedo, dum affligit me » inimicus, dum confringit ossa mea? » Non carnes meas tantum, sed etiam ossa mea: ut in quibus putabatur esse aliqua fortitudo, videas cedere in tentationibus, ut cæteri infirmi desperent, quando fortes vident succumbere. Quanta ista pericula, fratres mei?

XIX. « Exprobraverunt mihi qui tribulant me. » Iterum illa vox: « Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi » est Deus tuus⁵? » Et maxime ista dicunt in tentationibus Ecclesiæ, « Ubi est Deus tuus? Quantum hæc Marty-

¹ Psal. XXI, 2, et Matth. XXVII, 46. — ² Psal. XXX, 23. — ³ Id. XII, XI. — ⁴ Matth. XXIV, 12. — ⁵ Psal. XLI, 4.

res audierunt, pro nomine Christi fortes et patientes, quantum illis dictum est: Ubi est Deus vester? Liberet vos, si potest. Tormenta enim ipsorum extrinsecus homines videbant, coronas intrinsecus non videbant. « Exprobraverunt mihi qui tribulant me, dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? » Et ego propter hæc, quoniam ad me turbata est anima mea, quid ei aliud quam illud dicam, « Quare tristis es anima mea, et quare » conturbas me¹? » Et quasi respondentem, Non vis ut conturbem te, hic posita in tantis malis? suspirans ad bona, sitiens et laborans, non vis ut conturbem te? « Spera » in Deum, quoniam adhuc confitebor illi. » Dicit ipsam confessionem, repetit spei confirmationem: « Salus » vultus mei et Deus meus. »

ENARRATIO

IN PSALMUM XLII.

Sermo ad populum².

I. PSALMUS iste brevis est: sic satisfacit mentibus auditorum, ut molestus non sit ventribus jejunorum. Pascatur ex hoc anima nostra, quam tristem esse dicit, qui cantat in hoc Psalmo: tristem, credo, ex aliquo jejunio suo; vel potius ex aliqua fame sua. Nam jejunium voluntatis est, fames necessitatis. Esurit Ecclesia, esurit corpus Christi, et homo ille ubique diffusus, cujus caput sursum est, membra deorsum: ejus vocem in omnibus Psalmis vel psal-

¹ Psal. XLI, 12. — ² Hic Sermo ad populum in die jejunii post meridiem habitus est.

lentem vel gementem, vel lætantem in spe, vel suspirantem in re, notissimam jam et familiarissimam habere debemus, tanquam nostram. Non ergo diu est immorandum, ut insinuemus vobis quis loquatur: sit unusquisque in Christi corpore, et loquetur hic.

II. Nostis autem omnes qui proficiunt, et qui cœlesti illi civitati ingemiscunt, qui peregrinationem suam norunt, qui viam tenent, qui in desiderio terræ illius stabilissimæ spem tanquam ancoram præfixerunt: nostis ergo quia hoc genus hominum, hoc semen bonum, hoc frumentum Christi inter zizania gemit; et hoc donec veniat tempus messis, id est, usque in finem sæculi, sicut exponit quæ non fallitur veritas¹. Gemens ergo inter zizania, id est, inter malos homines, inter dolosos et seductores, aut ira turbulentos, aut insidiis venenatos, circumspiciens simul cum illis esse se tanquam in uno agro per totum mundum, unam pluviam excipere, pariter perflari, pariterque secum inter adversa nutriri, habere simul ista communia dona Dei, malis bonisque concessa communiter ab illo « Qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et » pluit super justos et injustos². » Videns ergo semen Abrahæ, semen sanctum, quanta cum malis a quibus quandoque separandum est nunc habeat communia, æqualiter nasci, eandem conditionem generis humani sortiri, pariter mortalia ferre corpora, simul uti luce, fontibus, fructibus, prosperitatibus atque adversitatibus sæculi, sive fame, sive abundantia, sive pace, sive bello, sive salute, sive peste; videns quanta habeat communia eum malis, cum quibus tamen non habet causam communem, erumpit in hanc vocem: » Judica me Deus, et discerne causam » meam de gente non sancta³. Judica, inquit, me Deus: » non timeo judicium tuum, quia novi misericordiam tuam.

¹ Matth. xiii, 18. — ² Id. v, 45. — ³ Psal. xlii, 1.

« Judica me Deus, et discerne causam meam de gente » non sancta. » Nunc interim in hac peregrinatione nondum discernis locum meum, quia simul cum zizaniis vivo usque ad tempus messis¹: nondum discernis pluviam meam, nondum discernis lucem meam: discerne causam meam. Distet inter eum qui in te credit, et eum qui in te non credit. Par infirmitas est, sed dispar conscientia: par labor, sed dispar desiderium. Desiderium impiorum peribit: de desiderio autem justorum, nisi certus esset pollicitor, dubitare deberemus. Finis desiderii nostri, ipse promissor. Se ipsum dabit, quia se ipsum dedit: se ipsum dabit immortalibus immortalem, quia se ipsum dedit mortalibus mortalem. « Judica me Deus, et discerne causam meam de » gente non sancta. Ab homine iniquo et doloso erue me. » Hoc est, de gente non sancta. Ab homine, » a quodam genere hominum: quia quidam homo, et quidam homo, et in his duobus unus assumetur, et unus relinquetur².

III. Et quoniam patientia opus est ferendi usque ad messem, quamdam, si dici potest, indiscretam discretionem: simul enim sunt, et ideo discreta nondum sunt: zizania autem zizania sunt, et frumenta frumenta sunt; et ideo discreta jam sunt: quia ergo fortitudine opus est, imploranda ab illo qui jussit ut fortes simus, et nisi fortes ipse fecerit, non erimus quod jussit; ab illo qui dixit, « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit²: » ne sibi ipsa anima arrogando fortitudinem debilitetur, continuo adjungit, « Quia tu es Deus meus fortitudo mea, » ut quid me repulisti, et ut quid tristis incedo, dum affligit » me inimicus³? » Causam quærit tristitiæ suæ. « Quare, » inquit, tristis incedo dum affligit me inimicus? » Tristis ambulo, inimicus affligit me quotidianis tentationibus,

¹ Matth. xiii, 30. — ² Id. x, 22, et xxiv, 13. — ³ Psal. xlii, 2.

immittens vel quod male amemus, vel quod male timeamus: et contra utrumque pugnans anima, etsi non capta, tamen periclitans, contrahitur tristitia, et dicit Deo, « Utquid? » Quærat ergo ab ipso, et audiat utquid. Quærit enim in Psalmo causam tristitiæ suæ, dicens, » Utquid me repulisti, et utquid tristis incedo? » Audiatur ex Isaïa, succurrat illi lectio, quæ modo recitata est: « Spiritus, inquit, a me prodiet, et omnem flatum ego » feci: propter peccatum modicum quid contristavi illum, » et averti faciem meam ab illo; et contristatus est, et » abiit tristis in viis suis¹. » Quid ergo quærebas, « Ut » quid me repulisti, et utquid tristis incedo? » Audisti, « propter peccatum. » Causa tristitiæ tuæ peccatum est, causa lætitiæ tuæ justitia sit. Peccare volebas, et laborare nolebas; ut parum tibi esset quod esses injustus, nisi et eum injustum voluisses, a quo in te vindicari noluisses. Respice vocem meliorem in alio Psalmo: « Bonum est mihi » quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas². » Didiceram elatus iniquitates meas, discam humiliatus justificationes tuas. « Utquid tristis incedo, dum affligit me » inimicus? » De inimico quereris; revera affligit, sed tu ei locum dedisti. Et nunc habes quod agas; elige consilium, regem admitte, tyrannum exclude.

IV. Sed ut hoc faciat, quid dicit, quid supplicat, quid orat attende. Ora quod audis, ora cum audis; omnium nostrum sit ista vox: « Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et perduxerunt in » montem sanctum tuum, et in tabernacula tua³. » Quia ipsa lux tua et veritas tua: hæc nomina duo, res una. Quid enim aliud lux Dei, nisi veritas Dei? aut quid veritas Dei, nisi lux Dei? Et hoc utrumque unus Christus. « Ego sum lux mundi: qui credit in me, non ambulabit

¹ Isaï. LVII, 16, 17. — ² Psal. CXVIII, 71. — ³ Id. XLII, 3.

» in tenebris. Ego sum via, veritas et vita¹. » Ipse lux, ipse veritas. Veniat ergo, et eruat nos, discernens modo causam nostram a gente non sancta; eruat ab homine iniquo et doloso: separet frumentum a zizaniis: quia ipse mittet Angelos suos messis tempore, ut colligant de regno ejus omnia scandala, et mittant in ignem ardentem, frumentum autem ejus congregent in horreum². Emitteret lucem suam et veritatem suam; quia ipsa jam nos deduxerunt et perduxerunt in montem sanctum ejus et in tabernacula ejus. Pignus habemus, præmium speramus. Sanctus mons ejus, sancta Ecclesia ejus. Mons ille est, qui crevit ex minimo lapide, secundum visionem Danielis, confringens regna terrarum; et in tantum excrescens, ut impleret universam faciem terræ³. In hoc monte se exauditum dicit, qui dicit: « Voce mea ad Dominum clamavi, » et exaudivit me de monte sancto suo⁴. » Quisquis præter istum montem orat, non sese speret exaudiri ad vitam æternam. Exaudiuntur enim multi ad multa. Nec sibi plaudant quod exaudiuntur: exauditi sunt dæmones, ut in porcos mitterentur⁵. Exaudiri ad vitam æternam concupiscamus, propter desiderium quo dicimus: « Emitte lucem » tuam et veritatem tuam. » Illa lux oculorum cordis inquirat. « Beati enim, inquit, mundi corde, quoniam » ipsi Deum videbunt⁶. » Modo in monte ejus sumus, id est, in Ecclesia ejus, et in tabernaculo ejus. Tabernaculum peregrinantium est, domus cohabitantium: est et tabernaculum peregrinantium et militantium. Cum audis tabernaculum, bellum intellige, hostem cave. Domus autem quæ erit? « Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te⁷. »

V. Jam ergo perducti ad tabernaculum, et positi in

¹ Joan. VIII, 11, et XIV, 6. — ² Matth. XIII, 41-43. — ³ Dan. II, 35. — ⁴ Psal. III, 5. — ⁵ Matth. VIII, 32. — ⁶ Id. V, 8. — ⁷ Psal. LXXXIII, 5.

monte sancto ejus, quam spem gerimus? « Et introibo ad » altare Dei. » Est enim quoddam sublime altare invisibile, quo non accedit injustus. Ad illud altare ille solus accedit, qui ad istud securus accedit: illic inveniet vitam suam, qui in isto discernit causam suam. « Et introibo ad » altare Dei: » De monte sancto ejus, et de tabernaculo ejus, de sancta Ecclesia ejus, introibo ad altare Dei sublime. Quale ibi sacrificium est? Ipse qui intrat, assumitur in holocaustum. « Introibo ad altare Dei. » Quid est quod dicit, « Ad altare Dei? » « Ad Deum qui lætificat juventutem » meam¹. » Juventus novitatem significat: tanquam diceret: Ad Deum qui lætificat novitatem meam. Lætificat novitatem meam qui contristavit vetustatem meam. Incedo enim modo tristis in vetustate, tunc autem stabo gaudens in novitate. « Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus » meus². » Quid est in cithara confiteri, et in psalterio confiteri? Non enim semper in cithara, nec semper in psalterio. Duo hæc organa musicorum habent inter se distinctam discretamque rationem, dignam consideratione et commendatione memoriæ. Utrumque hoc manibus portatur et tangitur, et significat opera quædam nostra corporalia. Utrumque bonum, si quis norit psallere, si quis norit citharizare. Sed quia psalterium istud organum dicitur, quod de superiore parte habet testudinem; illud scilicet tympanum et concavum lignum cui chordæ innitentes resonant: cithara vero idipsum lignum cavum et sonorum ex inferiore parte habet: discernenda sunt opera nostra, quando in psalterio sint, quando in cithara, utraque tamen placita Deo et suavia ejus auditui. Quando ergo ex præceptis Dei aliquid agimus, jussis ejus obtemperantes et obaudientes ad implenda præcepta ejus, ubi facimus, et non patimur, psalterium est. Faciunt enim ita

¹ Psal. XLII, 4. — ² Ibid.

et Angeli; non enim aliquid patiuntur. Cum autem aliquid patimur tribulationum, tentationum, scandalorum in hac terra, quia non patimur nisi ex inferiore parte, id est, ex quod mortales sumus, ex eo quod primæ nostræ causæ quiddam tribulationum debemus, et quia patimur multa ab eis qui non sunt desurper, cithara est. Venit enim sonus suavis ex inferiore parte: patimur et psallimus, vel potius cantamus et citharizamus. Quando dicebat Apostolus evangelizare se et prædicare Evangelium toto orbe terrarum ex præcepto Dei, quia illud Evangelium se non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum accepisse dicebat¹, desuper sonabant chordæ; cum vero dicebat: « Gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio » patientiam operatur, patientia probationem, probatio » spem²: » cithara sonabat ex inferiore quidem, sed tamen dulciter. Omnis enim patientia dulcis est Deo. Si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti. Quare ergo modo dixit: « Confitebor tibi in cithara? » Propter illud quod dixerat: « Ut quid tristis incedo dum » affligit me inimicus? » Patiebatur enim quiddam ex inferiore afflictione, et in eo ipso tamen volebat placere Deo, et gratias gestiebat agere Deo, fortis in tribulationibus: et quia sine tribulatione esse non poterat, patientiam Deo debebat. « Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus. »

VI. Et rursus ad animam suam, ut ex inferiore illo sonoro ligno capiat sonum: « Ut quid tristis es, inquit, » anima mea, et ut quid conturbas me³? » In tribulationibus sum, in languoribus, in mœroribus, ut quid me conturbas, o anima? Quis dicit? cui dicit? Animæ dicit, omnes novimus: planum est enim, ad illam directus est sermo. « Ut quid tristis es, anima mea, et ut quid » conturbas me? » Quæritur persona loquens. Numquid

¹ Gal. 1, 12. — ² Rom. v, 3, 4. — ³ Psal. XLII, 5.

caro animæ loquitur, cum caro sine anima non loquatur? Proprium enim magis est, ut anima carnem alloquatur, quam ut caro alloquatur animam. Sed quia non dixit: Quare tristis es, caro mea, sed ait: « Quare tristis es, » anima mea? » Si enim carnem alloqueretur, fortasse non diceret: « Quare tristis es: » sed, Quare doles? Dolor enim animæ tristitia dicitur: molestia vero quæ fit in corpore, dolor dici potest, tristitia non potest. Sed ex dolore corporis plerumque anima contristatur. Interest tamen quid doleat, et quid contristetur. Dolet enim caro, tristis est anima: et aperta ista vox est: « Utquid tristis es, » anima mea? Non ergo anima alloquitur carnem; quia non dixit: Utquid tristis es, caro mea? Nec caro animam; quia absurdum est ut inferior alloquatur superiorem. Ergo intelligimus habere nos aliquid ubi imago Dei est, mentem scilicet atque rationem. Ipsa mens invocabat lucem Dei et veritatem Dei. Ipsa est qua capimus justum et injustum: ipsa est qua discernimus verum a falso: ipsa est quæ vocatur intellectus, quo intellectu carent bestię; quem intellectum quisquis in se negligit, et postponit cæteris, et ita abjicit quasi non habeat, audit ex Psalmo: « Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus¹. » Intellectus ergo noster alloquitur animam nostram. Ista in tribulationibus marcida est, fessa in angoribus, contracta in tentationibus, ægra in laboribus. Erigit eam mens desuper capiens veritatem; et dicit: « Utquid tristis es, anima mea, et utquid conturbas me? »

VII. Videte si non est ista allocutio in illo conflictu Apostoli, in se præfigurantis quosdam, et forte nos, et dicentis: « Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis², »

¹ Psal. xxxi, 9. — ² Rom. vii, 22.

id est, motus quosdam carnales: et in quadam lucta, et quasi desperatione, invocat gratiam Dei: « Miser ego » homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum¹. » Tales ita pugnantes etiam ipse Dominus in se præfigurare dignatus est, cum ait: « Tristis est anima mea usque ad » mortem². » Ille enim noverat ad quod venerat. Ille passionem pavebat qui dixerat: « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam, nemo tollit illam a me, sed ego ipse pono eam a me, et iterum sumo eam³? » sed, « Tristis est » anima mea usque ad mortem, » qui dixit, quædam membra sua in se figuravit. Plerumque enim jam mens bene credit et bene novit futurum hominem secundum fidem suam in gremio Abrahæ: credit hoc, et tamen cum venerit aliquis articulus mortis, turbatur ex familiaritate quadam sæculi hujus; erigit auditum in illam vocem Dei internam, audit rationabile carmen intrinsecus. Ita enim desuper in silentio sonat quiddam; non auribus, sed mentibus, ut quicumque audit illud melos, tædio afficiatur ad strepitum corporalem, et tota ista vita humana tumultus ei quidam sit, impediens auditum superni cujusdam soni nimium delectabilis, et incomparabilis, et ineffabilis. Et revera cum ita contingit ex aliqua perturbatione, vim patitur homo, alloquens animam suam: « Utquid tristis » es, anima mea, et utquid conturbas me? » An forte ideo quia difficile purgata vita invenitur, cum ille judicat qui novit ad purum et liquidum judicare? Quia etsi probabilis jam vita est inter homines, ita ut homines quid jam reprehendant juste non habeant: procedit examen ab illius oculis, procedit regula exæquans non fallaciter, et invenit in homine quædam quæ reprehendat Deus, quæ

¹ Rom. vii, 25. — ² Matth. xxvi, 38. — ³ Joan. x, 17, 18.

homines reprehendenda non videbant, nec ille ipse intus qui iudicandus est: Hæc timens anima forte conturbatur: alloquitur eam mens, quasi dicens: Quid times de peccatis, quia non potes omnia devitare? « Spera in Domino, quoniam confitebor illi. » Quædam sanat præsens allocutio, reliqua purgat fidelis confessio. Plane time, si justum te dicis; si non habes illam vocem ex alio Psalmo: « Ne intres in iudicium cum servo tuo. » Quare, « Ne intres in iudicium cum servo tuo? » Misericordia tua mihi opus est. Nam si iudicium exhibueris sine misericordia, quo ibo? « Si iniquitates observaveris, Domine, » Domine, quis sustinebit¹? Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens². » Ergo si non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quia quicumque hic vivit, quantumlibet juste vivat, væ illi si cum illo in iudicium intraverit Deus. Nam ex alio Propheta arrogantes et superbos identidem sic objurgat: « Ut quid vultis mecum iudicio contendere? » Omnes dereliquistis me, dicit Dominus³. » Noli ergo iudicio contendere: da operam esse justus; et quantumcumque fueris, confitere te peccatorem; semper spera misericordiam: et in ista humili confessione securus alloquere turbantem te, et tumultuantem adversus te animam tuam. « Ut quid tristis es, anima mea, et ut quid conturbas me? » Forte in te volebas sperare: « Spera in Domino, » noli in te. Quid enim es in te? quid es de te? Ille sit sanitas in te, qui suscepit vulnera propter te. « Spera, inquit, in Dominum, quoniam confitebor illi. » Quid illi confiteberis? « Salutare vultus mei, Deus meus. » Tu es salutare vultus mei, tu sanabis me. Æger ad te loquor: agnosco medicum, non me jacto sanum. Quid est, agnosco medicum, non me jacto sanum? Quod in alio

¹ Psal. cxxix, 3. — ² Id. cxlii, 2. — ³ Jerem. xi, 29.

Psalmo dicitur: « Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi¹. »

VIII. Hæc vox, fratres, tuta est: sed vigilate in operibus bonis. Tangite psalterium, obediendo præceptis: tangite citharam, tolerando passiones. « Frange esurienti panem tuum², » audisti ab Isaïa: noli jejunium putare sufficere. Jejunium te castigat, non alterum reficit. Fructuosæ erunt angustiae tuæ, si alteri præstiteris latitudinem. Ecce fraudasti animam tuam: cui dabis quod tibi abstulisti? ubi pones quod tibi denegasti? Quam multos pauperes saginare potest intermissum hodie prandium nostrum. Ita jejuna, ut alio manducante prandisse te gaudeas, propter orationes, ut exaudiaris. Ibi enim ait: « Adhuc loquente te dicam: Ecce adsum: si fregeris ex animo esurienti panem³. » Quia plerumque fit a tristibus et a murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis. « Hilarem autem datorem diligit Deus⁴. » Si panem dederis tristis, et panem et meritum perdidisti. Ergo ex animo fac: ut ille qui intus videt adhuc loquente te dicat: « Ecce adsum. » Quam celeriter accipiuntur orationes bene operantium: et hæc justitia hominis in hac vita, jejunium, eleemosyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, jejunium et eleemosynam. Tales nos inveniat, ut securos inveniat lux Dei, et veritas Dei, cum venerit liberare nos a morte, qui jam venit subire pro nobis mortem. Amen.

¹ Psal. xl, 5. — ² Isaï. lviii, 7. — ³ Ibid. 9, 10. — ⁴ 2 Cor. ix, 7.